



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones De Matrimonio

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio II. Argumentum. Definitur Matrimonium tanquam contractus tum in fieri, tum in facto ess. Innuitur obligatio genitorum alendi proprios filios: & ad quid teneantur, qui mittunt illos ad ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94595)

Item Matrimonium exprimitur sub nomine *Nuptiarum*, seu *Connubii* ex caeremonia illa, quam servabant antiqui, ut puellae marito conjungenda, velo quodam caput obnubere solebant, & hoc in signum pudoris, ut legitur in *cap. Nec illud* 30. q. 5. & videtur ortum habuisse ex facto Rebeckae, quae ex paterna patria per servum Abrahamieducta, Isaac in Uxorem jungenda; appropinquans domui, cum ipsum Isaacum in
23 campo vidisset, statim ex camelo descendit, & velo caput suum obnubuit. *Genes.* 24. 65. unde S. Ambrosius lib. 3. de *Virginib.* de Rebecca scripsit: *Velamen capitis accepit, cum veniret ad nuptias, ne prius videretur, quam jungeretur: Et utique pulchra Virgo non decori timuit, sed pudori.* De eadem quoque Sanctus Paulinus *carminum* 14. quod est Epitaphium in Julianum, ita cecinit:

*Pulchra Rebecca suum cum sponsa veniret
ad Isaac,*

Simpliciter velo tecta pudoris erat.

Et hic mos velandi, & obnubendi capita puellarum, quando desponsarentur, erat etiam apud
24 Ethnicos; nam & Martialis lib. 12. *Epigram.* 42. sic habet de puellis ad sponfos ducendis:

Praluxere faces, velarunt flammae vultus;

Nec tua defuerint verba Thalasse tibi.

Thalassus ille erat falsum Numen, & Deus boni ominis in nuptiis apud Gentiles, ut notat Francisc. Serra in *Synonymor. Apparatu Verb. Matrimonium*. Similiter de hoc more velandi capitis mulierum in nuptiis loquitur etiam Ovidius 3. *Fast.* ita canens:

Credit amans, thalamosque parat, deducitur illuc

Anna tegens vultus ut nova Nupta suos.

Erat Anna illa filia Beli, ac Soror Didonis; cuius amore exarserat Aeneas, ut pluribus congestis de illa narrat idem Serra ubi *supr. Verb. Anna*. Et idem Poeta scribens de nuptiis Orphei lib. 10. *Metamorphos.* meminit ejusdem moris cooperiendi velo capita puellarum, dicens:

*Inde per immersum croceo velatus amictu
Aethera digrediens, Ciconumque Hymeneus ad oras.*

Tendit, &c.

Liberi, ac Veneris filium fingunt Poetae Hymeneum fuisse, alii progenitum ex Urania Musa, qui primus certas nuptias instituit, & ob hujusmodi meritum vocem hanc factam esse nuptialem apud Graecos, itaut Hymeneos agere idem sit, ac Nuptias celebrare, ut notat praedictus Serra *Verb. Hymeneus*. ubi longam narrat Historiam de pulcherrimo juvene Hymeneo nuncupato, qui tanquam puella induebatur, & cum puellis conversabatur; & meruit à Graecis inter Deos collocari, ut nuptiis praesideret. Igitur Matrimonium vocatur Connubium, ac Nuptiae, à praedicto usu obnubendi, & regendi velo caput sponsae. De ejus colore plura differit Serlogus in *Cant. tom. 3. Vestigat.* 28. cap. 4. sect. 1. à num. 7. & seqq.

Tandem verè, ac propriè, ut supra dictum est, contractus iste, ac Sacramentum simul de quo explicationem aggressi sumus, vocatur Matrimonium; quasi *Matris munitum*; duplici de causa; Una, quia mulieres ineunt hunc contractum, impensè cupientes fieri Matres, filios scilicet generando, ac pariendo. Hinc Rachel nupta Jacobo, cum sterilitate laboraret, ingemiscens dixit illi: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* *Genes.* 30. 1. Et de muliere illa, quae hospitabatur Eliseum, Jezi discipulus ejus dixit ei cogitanti, quam reddere posset retributionem? *Ne quas, filium enim non habet, Et Vir ejus senex est.* 4. Reg. 4. 14. quasi diceret, si vis rem gratam ei facere, Deum roga, ut filium possit concipere, ac parere, prout fecit; verissimum est enim, quod scripsit S. Augustinus lib. 19. contra *Faussum* cap. 16. *Mulier contrahit, quia vult effici Mater.* Altera causa est denominationis praedictae à Matre, & non à Patre; quia cum finis primarius hujus contractus regulariter sit prolis procreatio, & educatio; in hunc finem magis infundat Mater, quam Pater; siquidem ut legitur in *cap. Ex litteris. De Convers. Infidel.* *Infans magis materno indiget solatio, quam paterno;* sibi enim ante partum est onerosus, in partu dolorosus, & post partum laboriosus fuisse noscitur; ac ex hoc legitima conjunctio maris, & feminae magis Matrimonium, quam Patrimonium nuncupatur. Quod notant Thologi, ac Canonistae, Emin. Card. de Lauræa de *Matrim. disput.* 12. num. 2. *Matruius eod. tract. disput.* 7. num. 1. & Salmanticenses de *Matrim. tract.* 9. in princ. addentes, è contra, quòd Patrimonium à Patre dicitur, qui plus in ejus augmento, & conservatione defudat.

DECISIO II.

ARGUMENTUM.

Definitur Matrimonium tanquam contractus tum *in fieri*, tum *in facto esse*. Innuitur obligatio genitorum alendi proprios filios: & ad quid teneantur, qui mittunt illos ad Hospitale *Domus Dei*? Inquiritur, in quo consistat essentia contractus Matrimonialis? Ostenditur septem rationibus, copulam actualem non esse de ejus essentia; idque confirmatur Exemplis Conjugum, qui in Matrimonio Virginitatem, & Castitatem perpetuam iervarunt.

SUMMARIUM.

- 1 Matrimonium in fieri quomodo definitur?
- 2 Definitio debet constare ex genere, & differentia.
- 3 Finis praecipuus Matrimonii est proles.
- 4 Proles educatio insita est à natura in hominibus, & in animalibus.
- 5 Epistola Card. Barbadici de bona educatione filiorum.
- 6 Genitores mittentes filios ad Hospitale Domus Dei ad quid teneantur.

- 7 Dotare filias etiam spurias genitores tenentur.
- 8 Matrimonii in facto esse definitio.
- 9 Vinculum indissolubile est Matrimonium consummatum.
- 10 Dominium reciprocum in corpora contrahentium Matrimonium.
- 11 Doctores cujusdam Spurii rubor.
- 12 Essentia Matrimonii consistit in Vinculo.
- 13 Copula Carnalis an sit de essentia Matrimonii?
- 14 Ratum Matrimonium est verum Matrimonium?
- 15 Vnicuique error, quod copula actualis esset de essentia Matrimonii.
- 16 Conjugum exempla, qui in Matrimonio castitatem servarunt.
- 17 Arvernium est urbs Galliae Aquitaniae.
- 18 Prodigium duplex, post mortem conjugum, qui caste semper vixerunt.

Dilectum est supra num. 2. quod Matrimonium tanquam merè contractus consideratur vel in fieri, vel in facto esse; videlicet vel in re transiente, qualis est illa actio, in qua, & per quam contrahitur Matrimonium, proferendo verba, seu signa consensus; vel in re permanente, scilicet in vinculo permanente usque ad mortem contrahentium: idcirco in presenti definitioni debet impleri contractus prout simplex contractus est, præcindens à Sacramento, tam in fieri, quam in facto esse; nam ejusdem definitionem tanquam Sacramenti dabimus in sequentibus Decif. IV.

- 1 Igitur Matrimonium tanquam merè contractus in fieri definitur ita: Contractus Matrimonii est maris, & feminae mutua translatio corporum suorum pro usu perpetuo ad procreandam prolem, & debite educandam. Ita Scotus in 4. dist. 26. quest. Unic. sub O. & P. S. Bonaventura in 4. dist. 27. part. 1. q. 1. Eminent. Card. de Laueræ de Matrimon. disp. 12. num. 26. & Maltrius in 4. disp. 7. n. 6. qui advertit, esse perfectam definitionem, quia constat ex genere, & differentia. Genus sunt verba illa mutua translatio; siquidem in contractibus do, ut des, transfertur adinvicem res quæ deducitur in contractu. Cætera verba in dicant differentiam contractus hujus Matrimonialis à cæteris contractibus: nam dicitur Maris, & Femina; quia neque duo Viri inter se, neque duo Feminae possunt inter se hujuscemodi contractum inire. Dicitur corporum suorum, ad distinctionem aliarum rerum, vel mercium, quæ solent in contractu dari. Dicitur pro usu perpetuo, ad excludendam fornicationem, & concubinatum, in quibus non proceditur per usum perpetuum; sed ad tempus pro libito limitatum. Dicitur ad procreandam prolem, quia hic est finis præcipuus hujus contractus, & distinguitur à servitute, à vasallaggio, & ab ingressu Religiosis; in his enim omnibus actibus obligatoris Dominus recipit jus, & dominium in corpora servorum, & vasallorum, sed ad alios fines, nempe vel ad laborandum, vel ad mi-

litandum; prout in corpora Religiosorum ad canendum in Choro, & onera Religionis perferenda; & conjuges sibi adinvicem tradunt jus, & dominium in sua corpora ad prolem procreandam. Dicitur tandem debite educandam; quia hæc obligatio insita est à natura, ut parentes teneantur prolem suam educare, non solum in hominibus usu rationis utentibus; sed etiam in animalibus irrationabilibus, cum hac tamen distinctione, ut doctè considerat P. S. gnerius in Christiano Instruct. part. 1. serm. 13. à num. 1. & seqq. quod homines Christiani non solum tenentur educare prolem, donec ex se possit cibum capere, ut faciunt irrationabilia animalia; sed ulterius debent eam instruere in mysteriis Fidei, & mediis necessariis ad consequendam vitam æternam; cujus causa proles humana generatur, ut fusè loquitur Epist. 80. Eminentiss. ac Reverendiss. Cardin. GREGORII BARBADICI ad populum Civitatis, ac Diocesis Pataviæ diei 24. Decembris 1687. quam de mandato Eminentiæ suæ tunc temporis ego composui; ut excitarentur Patres, ac Matres familiarum per Parochos ad bonam filiorum suorum educationem perficiendam; quæ quidem Epistola habetur in Libro Litterarum Pastoralium ejusdem Cardinalis ad pag. 146.

Quod si quis petat, Utrum illi, qui generant prolem ex fornicatione, vel ex concubina, & mittunt eandem prolem ad Hospitale puerorum illegitimum, quod hic Patavii dicitur Domus Dei, sint liberi ab hac obligatione educandi eandem prolem? Respondendum est negative, quia si ipsi genitores sint divites contrahunt duas obligationes cum eodem Hospitali, seu Domo Dei. Prima est restituendi ipsi Hospitali quicquid expendit in alendis, & educandis eorum filiis, ut testatur Emin. Cardin. de Lugo, tom. 1. de Justit. & Jure disp. 13. sect. 1. n. 4. cujus hæc sunt verba: Quarto dicunt communiter Doctores, restituendum esse Hospitali, ad cujus janua proles ex adulterio concepta exponitur, pro expensis proles nutriende, saltem quando parentes divites erant, & solum ad tegendum crimen filium exponunt. Ita Sylvester, Armilla, Cajetanus, Rosella, Fabiana, Gabriel, Antoninus, & Navarrus, quos refert, & sequitur Thomas Sanchez tom. 1. Consil. cap. 5. dub. 4. n. 17. Azorius tom. 2. lib. 2. cap. 5. q. 7. Homobon. & Bellocchius, quos refert Diana part. 3. tract. 6. resol. 40. (nunc in ejus opere Coordinato tom. 8. tract. 7. resol. 47.) qui loquuntur universaliter de exponentibus filium, sive legitimum, sive spurium: quibus adde Molinam loquentem de prole adulterina disp. 101. n. 1. tom. 4. quia sumptus, & reditus illi relati sunt, ut subveniatur pauperibus. Ergo injustè agit, qui cum dives sit, & teneatur filio alimenta præstare, cogit ad alendum illum ex pauperum bonis. Hucusque Cardinalis de Lugo, cui adhærent etiam Rebellus de oblig. Just. par. 2. lib. 5. q. 8. n. 4. Et Tamburinus in Decal. lib. 5. cap. 3. s. 1. num. 4. Ratio autem hujus doctrinæ est illa, quam supra tetigimus, idest, quod Jure naturali Pater tenetur præstare filiis suis alimenta, l. Si quis à liberis. ff. de liber. agnoscen. l. Si competenti. l. penult. & l. fin. C. de alend. liber. l. Unica. §. Taceat. C. de Rei Uxor. act. cap. Si quis dereliquerit. §. o. dist. & cap. Cum haberet (ubi de filiis spuriiis

spuriis loquitur) *De eo, qui duxit in Matrim.* & ibi Gonzalez in *Commentar. ad eundem textum num. 4.* Scio, contrarium tenere nonnullos DD. apud Layman. *lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 14. num. 4.* Sed hæc opinio est probabilior, ac securior, & DD. ex adverso intelligendi sunt, si genitores sint verè pauperes, ac sine bonis temporalibus.

Altera obligatio parentum divitum cum hospitali est, dotandi filias illegitimas, quas ad ipsum Hospitalē transmiserunt; ob eandem rationem naturalem, quam Pater habet dandi dotem filiabus suis, ut ex pluribus DD. notat Gonzalez in *d. cap. Cum haberet. in fin. De eo, qui duxit in Matrim.* & in puncto scribit idem Rebellus *d. libr. 5. de oblig. Just. q. 8. sect. 2. num. 5.* quod utinam considerarent Viri nobiles, qui, estranata sensualitati servientes, non verentur proles suas illegitimas Hospitali exponere; & utinam id adverterent Confessarii, dum eorum confessiones audiunt, ut scirent eos non esse absolvendos, nisi prædictis obligationibus, omni meliori modo, & ad arbitrium boni viri, satisfaciant.

Secundò definitur etiam à Theologis Matrimonium tanquam simplex contractus, sed in factò esse consistens his verbis: *Matrimonium est Vinculum indissolubile inter marem, & feminam ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta ad prolem procreandam, & debite educandam.* Ita Scotus in *4. sent. dist. 26. q. Unica sub Litt. P.* & ex eo Emin. Cardin. de *Lauræa d. disp. 12. num. 28.* atque Maffius in *4. disp. 7. de Sacram. Matrim. n. 3.* In hac definitione reperiuntur omnia quatuor genera causarum, Formalis, Materialis, Efficiens, ac Finalis. Causa formalis est *Vinculum indissolubile*; Siquidem in Matrimonio nihil est permans, nisi vinculum, quod in mare, & femina mutuum permanet usque ad mortem, juxta illud Apostoli *1. Cor. 7. Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Et Mulier non habet sui corporis potestatem, sed Vir; neque Vir habet sui corporis potestatem, sed Mulier.* Causa Materialis habetur in illis verbis *inter Marem, & Femina.* Efficiens dum dicitur *ex mutua translatione &c.* & Finalis, ibi *Ad procreandam prolem debite educandam.* Pariter in hac definitione habetur genus, & differentia: Genus est *ly Vinculum*; nam omnes contractus ultro, citroque obligatorii sunt Vincula Civilia, quibus contrahentes ligantur juxta Proverbium: *Verba ligant homines, taurorum cornua funes.* Dicitur *indissolubile* ad differentiam aliorum omnium contractuum, qui de sui natura sunt solubiles ex contrario consensu contrahentium: adeò ut nullus dici possit perpetuus; cum ex voluntate eorum, qui se obligarunt, possit solvi contractus, ac vinculum obligationis, præterquam in Matrimonio, cujus vinculum, ut dictum est, indissolubile remanet usque ad mortem; quod tamen debet intelligi de Matrimonio consummato; secus autem de Rato tantum; hoc enim solubile est per Auctoritatem Pontificiam, & per ingressum Religionis, ut suo loco declarabimus. Item hoc verbum *indissolubile* est ad differentiam concubinatus, vel alterius fornicariæ conjunctionis, in quibus non intrat hæc perpetuitas, sed fieri solet ad tempus. Dicitur *inter Marem & Femina*

nam ad differentiam Societatum Civilium, vel Confraternitatum Spiritualium, quæ, ut plurimum contrahuntur inter Viros, & Viros, seu inter Mulieres, ac Mulieres. At Matrimonium inter Virum, & Mulierem tantum. Dicitur *ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se invicem facta*, ad differentiam emptionis foeminarum, quæ olim fiebat apud Romanos, & adhuc apud Turcas, & Paganos servatur, qui emunt foeminas vel ad luxuriam explendam, vel ad servitia domestica in domibus reportanda, & prædictæ emptiones non sunt matrimonia, quia non est mutua translatio potestatis corporum inter Herum ementem, & famulas emptas: sicut è contra cessat hæc mutua potestatis translatio, si Mulier nobilis dives emat servum, vel servos; hi enim detinentur vinculo servitutis, sed nullam in corpus Dominæ habent potestatem. Idcirco in Matrimonio tantum fit hæc mutua potestatis corporum translatio: quia statim Vir acquirit dominium, & potestatem in corpus mulieris; ac vice versa Mulier obtinet idem dominium, ac potestatem in corpus Viri juxta supradicta ejusdem Apostoli verba *1. Cor. 7. 4. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed Vir. Similiter autem & Vir sui corporis potestatem non habet, sed Mulier.* Tandem dicitur *ad prolem procreandam, & debite educandam* ad exclusionem cujuscunque illicitæ corporum traditionis, sive in adulterio, sive in fornicatione, ubi etiam si proles generentur, non possunt debite educari; semper enim filii spurii, vel illegitimi remanent cum contemptu tum apud leges, tum apud homines; nec admittuntur ad officia publica, honores, ac dignitates, prout fieri solet de natis ex Matrimonio legitimo. Memini, cum juvenis essem, nonnullos condiscipulos meos Laureæ Doctoratus insignitos, quadam die recreationis causa dixisse: *Ludamus aleis.* sed quid exponemus ludo? Eorum unus, qui natus erat spurius, ait: *Ludamus nostrum Doctoratum.* Respondit statim alter: Absit, meus enim Doctoratus legitimus est: tuus illegitimus. Quibus verbis spurius maxime erubuit.

Ex hac definitione Matrimonii tanquam contractus in factò esse, ac permanenti, duæ conclusiones colliguntur à Theologis, ac firmantur. Una est, quod essentia hujus contractus Matrimonialis verè, & propriè consistit in prædicto vinculo, quo adinvicem conjuges sunt sibi obligati: cum enim tria considerari possint in hoc contractu, consensus interior; contractus exterior, & ipsamet perpetua mutua obligatio; duò prima non sunt permanentia, sed transeuntia; idèdque dicuntur de essentia hujus contractus *in fieri*; sed vinculum, hoc est obligatio mutua, ac perpetua supra exposita, semper remanet, & sic contractus *in factò esse* consistit in hac reciproca conjugum obligatione, atque vinculo; in quo propterea omnes scribentes docent, firmari essentiam contractus, quatenus vinculum ipsum importat jus perpetuum utriusque conjugis in alterutrum, ac in utroquo perpetuam subjectionem, & ligamen. Sanchez de *Matrimon. lib. 2. disp. 1. num. 6.* & ibi S. Thomas, Ledesma, Henriquez, & alii DD. quibus concordant Maffius *d. disp. 7. de Matrim. num. 3.* & Emin. Card. de *Lauræa eod. tract. d. disp. 12. art. 6. ubi à num. 58. & seqq. disputat, an Vinculum prædictum sit*

fit relatio realis? seu rationis? vel ens absolutum? in qua disputatione varii sunt inter se Scotistæ, ac Thomistæ; sed non interest eorum dicta referre; nam spectant potius ad Philosophos, quam ad Theologos Morales.

13 Altera conclusio est, quod copula carnalis actualiter, & in exercitio posita non est de essentia Matrimonii; sed sufficit copula virtualiter sumpta, & cum implicita conditione, si petatur. Ita ex Scoto *dist. 30. qu. 2. § in dist. 31.* ex S. Thoma in 4. *sent. dist. 30. quest. 1. art. 2. questunc. 2. § art. 3.* Et ex aliis Emin. Card. de Laurea d. *disp. 12. de Matrim. art. 8.* & novillimè Maltrius in 4. *sent. d. disp. 7. à num. 3. § seqq.* Probant hi Doctores hanc conclusionem ita: Essentia cujuslibet contractus perfecte subsistit absque actuali usu rei, de qua sit; & cum solo jure, ac potestate utendi, ut patet in rebus emptis, in censibus, in societatibus, domorum conductionibus, & similibus. Sed copula carnalis inter conjugatos est usus actualis corporum, de quibus facta est translatio, seu permutatio in Matrimoniali contractu. Ergo absque hoc usu actuali subsistit ipse contractus. Secundò: Si actualis copula esset de essentia Matrimonii, sequeretur, quod contrahentes, eodem contextu, quo contrahunt, deberent copulari; aliàs non esset verus contractus. Sed asserere hoc esset absurdum. Ergo copula actualis non est de essentia Matrimonii. Tertiò: Si secus esset, eveniret, non posse dari Matrimonium Ratum; sed solummodò Matrimonium consummatum. Sed consequens est falsum. Ergo & antecedens; nam qui contrahunt Matrimonium, & ante consummationem ejus volunt ad religionem transire, id licite facere possunt, tamen dicantur contraxisse Matrimonium, id est Ratum, & non consummatum. Ergo sine copula actuali subsistit Matrimonium. cap. *Omnis. 27. quest. 2.* Quartò facit responsum Alexandri Papæ Tertii in eap. *Commissum* 16. de *Sponsalib.* ubi interrogatus quid agendum de quodam, qui cum juramento promississet se ducturum in Uxorem quamdam mulierem, postea desiderio melioris vitæ cupiebat ingredi Religionem? respondit enim Summus Pontifex, tutius est ei, religione juramenti servata, prius contrahere; & postea si elegerit, ad religionem migrare; si tamen post desponsationem copula non dignoscitur intervenisse carnalis. Ergo actualis copula non est de essentia Matrimonii; cum in hoc casu dictum sit à Papa, quod ad servandum, & adimplendum juramentum, debet Matrimonium contrahere, & post contractum, antequam consummet, transeat ad Religionem. Quintò, quia ex Divo Augustino in *lib. de bono conjugali cap. 3.* etiam in lenibus, & sterilibus non aptis ad actualem copulam Matrimonium subsistit. Sextò: Quia Concilium Constantinense sess. 8. damnavit Wicleffi errores, inter quos ipse sic definebat Matrimonium: Est legitima copulatio, qua secundum Dei legem licet sine crimine filios procreare; ac proinde docebat actualem copulam esse de essentia Matrimonii; quod sine illa actualiter habita subsistere non posset; ut notat Waldensis tom. 2. de sacramentis cap. 30. Septimò, quia in Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. dicitur, Matrimonium perfici mutuo consensu, & in Concilio

lio Tridentino sess. 24. de Matrim. can. 6. habetur, dari Matrimonium Ratum, ac Matrimonium consummatum. Octavò, quia multi Sancti conjuges fuerunt, qui inter se inferunt Matrimonium, & tamen mutuo consensu Virginitatem perpetuam servarunt; inter quos S. Henricus Imperator, cum Imperatrice S. Cunegunde ejus Uxore, ut in Breviario Romano die 12. Julii. S. Cæcilia, ac S. Valerianus Nobiles Romani, ac Martyres, cujus S. Cæciliæ corpus à Clemente Papa VIII. post tot annorum centurias illæsum, & integrum fuit repertum. S. Julianus, & Basilissa, quorum vita illustris extat apud Surium tom. 1. die 9. Mensis Januarii S. Pulcheria Augusta soror Theodosii Imperatoris, quæ cum perpetuam Deo vovisset Virginitatem, mortuo Theodosio, ea conditione nupsit Marciano, eumque creavit Imperatorem, ut suam castitatem Deo votam conservaret, quod & præstitit, teste Nicephoro lib. 14. cap. 2. Cedreno, & aliis. Boleslaus V. Polonorum Princeps, qui inde Pudici nomen accepit, quia Cunegundem Belæ Regis Hungarorum filiam in conjugem duxit, sed intactam reliquit. Mathildis Comitissa Italiae, quæ Vulsoni Duci, jussu Urbani Papæ II. nupsit hoc pacto, ut suum Virginitatis Votum inviolatum servaret, ut factum est, Spondanus Anno 1089. num. 5. Conradus Rex filius Henrici IV. Imperatoris, qui cum alia Mathilde conjugæ sua ab omni copula ex amore castitatis abstinuit. Alfonso II. Asturum Rex, qui cum Uxore sua continentiam servans, Casti nomen accepit. Richardis Regina Galliarum, quæ cum marito suo Carolo Crasso Rege celebs permansit. S. Pharaïdis, & septis S. Amelbergæ, æquæ ac Pipini, quæ perpetua fuit in conjugio Virgo. Eduardus III. Rex Angliæ, & Egitha Virgines, & Conjuges. Ethelreda Orientalium Anglorum Regina, quæ bis conjugata, semper Virgo permansit, de qua, & de supra recensitis legendus est Emin. Card. Baronius Anno 337. num. 50. Anno 480. num. 19. Anno 777. num. 2. § Anno 1043. num. 2. Bagatta in admirand. tom. 2. lib. 3. cap. 7. nec non Cornelius à Lapide Comment. in 1. Epist. ad Corinth. cap. 7. Vers. 6. ubi in fine refert duos alios Conjuges Arvernenses (Arvernium est Urbs Gallia Aquitaniæ) qui perpetuam castitatem in Matrimonio servarunt, de quibus S. Gregorius Turonensis lib. de Gloria Confessor. cap. 32. ita scribit: Cum Uxor obisset, maritus elevatis in cælum manibus dixit: Gratias Tibi rerum omnium Artifex ago, quod sicut mihi eam commendare dignatus es, ita Tibi reddo ab omni voluptatis conjugio impollutam. At illa subridens ait: Sile, sile, Vir Dei: quia non est necesse prodere nostrum secretum. Paulo post mortuus est maritus, alioque loco sepultus, & ecce manè factò, inventa sunt pariter esse sepulchra, quæ usque hodie sic perdurant; idcirco nunc incolæ, Duos amantes vocitant, & summo venerantur honore.

Cæterum præter supradictos, ac alios plurimos castissimos Conjuges, qui in Matrimonio à copula abstinentes, Virginitatem servarunt, ut de eis Historiæ, ac Vitæ Sanctorum frequenter testantur; summa veneratione notandum est exemplum Immaculatae DEIPAE

B

RÆ Vir-

RÆ Virginis, ejusque Sanctissimi Sponsi JOSEPH, qui vexillum castitatis non tantum Virginibus, sed & conjugatis erexerunt, etsi juncti Matrimonio, de quo in sequenti Decisione specialiter est differendum.

DECISIO III.

ARGUMENTUM.

Disputatur famosa Quæstio, An inter DEIPARAM, & S. JOSEPH interceserit verum Matrimonium, an sola Sponsalia? Præmissa tria, de educatione B. M. V. in Templo; de ejus Voto perpetuæ Virginitatis, quod omnium prima emisit, & de modo, ac tempore, quo fuit S. Joseph desponsata. Quod hæc fuerint tantum Sponsalia, rationes sex, ac SS. Patrum dicta. E contra, quod fuerit verum Matrimonium, rationes septem, ac SS. Patrum testimonia. Solutio rationum in contrarium adductarum, & declaratio SS. Patrum. An Votum perpetuæ Virginitatis stare possit cum Matrimonio? Tandem plura de ætate, excellentia, ac Patrocinio S. JOSEPH.

SUMMARIUM.

- 1 MARIA Virgo qua ætate in Templo sit præsentata?
- 2 Filia primogenita an esset Deo offerenda?
- 3 Cellula in Atriis Templi Hebræorum pro Virginitate, ac Viduarum habitatione.
- 4 MARIA Virgo in Templo inhabitans Votum fecit perpetuæ Virginitatis.
- 5 Angelica attestatio ejusdem Voti ad S. Birgittam.
- 6 Votum Virginitatis perpetuæ à quo prius emissum in Veteri lege?
- 7 MARIE DEIPARÆ primatus Virginitatis debetur.
- 8 Sedulii Poeta Carmina Salve Sancta Parens, &c.
- 9 Virgines Viri, ac Famina si qui in lege veteri, at non ex Voto.
- 10 Matrimonium Deiparæ cum S. Joseph quomodo factum, & à quibus?
- 11 Virgines educata in Templo factæ nubiles dimittebantur.
- 12 S. Joachim Pater DEIPARÆ an viveret tempore ejus desponsationis cum S. Joseph?
- 13 S. Anna Mater B. V. MARIE vivebat, dum natus est Christus.
- 14 Filia Hebræorum hereditaria debebant nubere uni de Tribu, ac Familia Patris sui.
- 15 Annos quot haberet DEIPARA, dum fuit desponsata?
- 16 Matrimonium verum, an Sponsalia tantum contraxerint MARIA, & JOSEPH inter se?

17 Quod sola sponsalia. Rationes sex, & DD.

18 Quod verum Matrimonium, Ratum tamen, non consummatum, rationes septem, & DD.

19 Argumentorum pro sponsalibus tantum solutione.

20 Votum Virginitatis DEIPARÆ triplici ratione non impedit ejus Matrimonium.

21 DEIPARA, ac S. JOSEPH antequam simul Matrimonium contraherent, sua Virginitatis Vota adinvicem sibi manifestarunt, & servare sponderunt.

22 Dominium rei stare potest absque ejus usu.

23 SS. Patres negantes Matrimonium inter DEIPARAM, ac S. JOSEPH intelligendi sunt de Matrimonio consummato.

24 Ætas, ac ætas S. JOSEPH dum Virginem DEIPARAM desponsavit.

25 Ejus excellentia septem ex eadem desponsatione.

Hic autem inquirendum venit, an inter DEIPARAM, & ejus Sponsum S. JOSEPH fuerit verum Matrimonium? Pro majori intelligentia tria sunt præmittenda.

Primum est, quod Augustissima, ac Sanctissima Virgo Mater Dei, tribus tantum annis educata fuit in domo S. Joachim, & S. Annæ parentum ipsius, à quibus sterilitate laborantibus, & prolem à Deo petentibus, votum factum fuit, illam consecrandi, ac offerendi Deo, ad instar Annæ Mariæ Samuelis, quæ filiolum suum juxta preces obtentum, Deo obtulit, ac ejus Divino Servitio mancipavit, ut legitur 1. Reg. 1. 26. Idcirco, quamvis lex de offerendis primogenitis, & offerendis filiis non obligaret, poterant tamen parentes voluntarie eas offerre, ac divino muneri consecrare, ut observat Suarez in 3. p. D. Thom. tom. 2. disp. 7. in princ. & sic cum Deipara esset annorum trium, fuit per S. Joachim, & S. Annam in Templo præsentata: & ibi in sanctis virtutibus, ac divino Amore erudienda relicta. Trimula cum esset, in Templum est præsentata, & ibi in sanctis Sanctorum traduxit annis undecim; ait Evodius apud Nicephor. lib. 2. cap. 3. quos refert Sallustius ad Annam Mundi 4051. n. 17. Siquidem, ut innuimus in nostris Decisionibus De Sacrificio Misse Decif. XII. sub num. 32. in Templo Hebræorum non solum in atriis exterioribus erant constructæ camerae, in quibus habitarent Sacerdotes, ac Levitæ, ipsi Templo ministrantes juxta vices suas, sed etiam erant cellulae pro habitatione sanctarum mulierum tum Virginum, tum Viduarum, quæ ibi manebant, in jejuniis, ac orationibus servientes Deo; ac in utensilibus sacris manuteneendis, conservandis, & multiplicandis se occupantes, ut legitur 2. Machab. 3. 19. & Luc. 2. 36. traditque Josephus Hebræus lib. 8. antiquit. cap. 3. & latè Canisius de Deipara lib. 1. cap. 12. quos allegat etiam Suarez d. disp. 7. in princ. In hoc ergo loco, & cellulis Templi, in quibus aliæ Virgines, ac sanctæ mulieres Viduæ morabantur, permansit Deipara Virgo usque ad nubiles annos, soli Deo vacans, & forma virtutis effecta,